

ut sunt perpetuo amentes, monstrosi, ita ut careant organis necessariis ad Ordinum ministeria, et similes. Prius enim de tali impedimento statuendum est, an sit contra substantiam Ordinum, necne; nam, si sit prioris generis, non constituit irregularem, sed incapacem Ordinis, et consequenter irregularitatis; si vero sint posterioris Ordinis, non obstat, quominus talis homo sit capax irregularitatis; imo, cum tale impedimentum irregularitas quædam sit, capacitatem ejus supponit.

*Secunda regula.*

5. *Irregularitas potest in eodem subjecto multiplicari.*—Secunda igitur generalis regula sit, omnem hominem capacem Ordinis, esse etiam capacem irregularitatis, si in terris habeat superiorem. Hæc regula constat ex eodem principio, quod privatio, et habitus versantur circa idem. Item, quia jura, per quæ irregularitates feruntur, comprehendunt omnes homines capaces Ordinum, in quibus tales defectus reperiuntur, qui eisdem hominibus communes esse possint. Denique hinc fit, ut etiam infantes possint esse irregulares, ut revera sunt saltem ratione ætatis, eruntque alio titulo, si sint illegitimi, quia sunt capaces Ordinum quantum ad substantiam eorum, juxta receptam sententiam, quæ ex parte insinuat in cap. Vel non est compos, de Temp. Ord., et in cap. unic., juncta Glossa, verb. Discretionis, de Cleric. per saltum promot., et in cap. Pueri, 4, quæst. 4. Unde a fortiori adulti omnes viri baptizati sunt capaces irregularitatis, quia de se sunt capaces Ordinis, possuntque ab Ecclesia propter justam causam excludi. Solum potest dubitari, an homo jam irregularis sit capax irregularitatis. Sed de hoc videnda sunt dicta in simili dubio de censura; est enim eadem proportionalis ratio; nam sicut excommunicatio, v. gr., potest in eodem multiplicari, multiplicata causa, vel secundum speciem, vel secundum numerum, ita etiam irregularitas; ut qui est illegitimus, potest fieri irregularis per homicidium; et qui unum homicidium commisit, per aliud potest novam irregularitatem contrahere. Quod pro dispensationibus est valde notandum, ut unumquodque vinculum ita solvatur, sicut contractum est, sicut dicitur in l. Prout, 80, § de Solutionibus.

6. *Episcopi an sint capaces irregularitatis, et qua lege comprehendantur.*—Rursus quæri potest de Episcopis, an sint capaces

irregularitatis, cum jam non sint capaces alicujus Ordinis. Respondetur tamen, absolute esse capaces, ut frequenter ex jure constat, satisque est, quod priventur Ordinibus, eo modo quo possunt, ut circa definitionem notavimus. Potest autem hic quæri, quod de suspensione supra tractavimus, an per generalem legem ferentem irregularitatem comprehendantur Episcopi, quamvis eorum expressa mentio non fiat, juxta cap. Quia periculosum, de Sentent. excomm. Dicendum vero est, eos comprehendere, quia in d. cap. non fit mentio irregularitatis, sed tantum suspensionis, et interdicti. Unde, quibus rationibus supra probavimus Episcopos includi in clausula generali quoad excommunicationem, eisdem probari potest comprehendere quoad irregularitatem. Quod etiam confirmari potest ex cap. 4, versic. Caveant, cum similibus, de Sentent. excomm., in 6. Contra hanc vero resolutionem videtur sentire Maiol., lib. 4 de Irregularitate, cap. 4, num. 7, ubi sentit decisionem dicti cap. Quia periculosum, extendi ad suspensionem, quæ per irregularitatem fit, ideoque habere locum in veris Episcopis, non vero in his, qui se fingunt Episcopos, ut Pontificalia exerceant, nam illi sine dubio incurrunt irregularitatem generaliter latam in cap. 4 de Cleric. non ord. ministr. Et hoc posterius certissimum est. Illud tamen prius mihi non probatur, sed verius censeo irregularitates latas in jure generaliter pro omnibus fidelibus, comprehendere Episcopos, quatenus in eis habere potest locum causa irregularitatis; alias nec irregularitas contra homicidas, neque illa, quæ est contra clericum excommunicatum vel suspensum ministrantem, nec similes, comprehenderent Episcopos, quod plane falsum est. Rationes etiam superius factæ sufficienter hoc probant.

7. *Papa est incapax irregularitatis.*—Dediditur. — Addita vero est in prædicta regula exceptio propter Summum Pontificem; nam, licet contingat, v. gr., homicidium committere, irregularis non fiet, quia cum irregularitas sit de jure Pontificio, non potest ipsum Pontificem Summum comprehendere; nam licet possit obligari suis legibus quoad vim directivam, non vero quoad vim coactivam, ut supra tactum est; irregularitas autem pertinet ad vim coactivam legis, ut per se constat. Loquimur enim de propria irregularitate, ut impedimentum canonicum est; naturale enim impedimentum ex infirmitate, vel alia simili causa

proveniens, obligare poterit ipsum ad se abstinentum, quantum naturalis ratio, supposito divino jure, dictaverit, juxta doctrinam D. Thom., 3 part., quæst. 82, art. 3. Nonnullum vero dubium habet, quando irregularitas antecedit electionem, ut si erat illegitimus, aut bigamus, aut homicida, et latebat. Nam, si irregularitas nota esset, posset et deberet repelli ab electione, quia pro illo statu est indignus, ut ad talem dignitatem suscipiatur, ut late ostendit Maiol., lib. 2, cap. 4, a princip. Si autem, irregularitate existente occulta, eligatur, electio erit valida; imo etiamsi esset cognita, et nihilominus Cardinales illum eligerent, etiam peccando, non posset contra illam objici exceptio irregularitatis; ita enim expedit ad commune bonum, et vitanda schismata; et ideo statutum est in cap. Licet, de Elect., et in cap. Ubi periculum, eodem titulo, in 6, ubi Speculator et alii materiam late prosequuntur. Unde ulterius fit, ut ipso facto tollatur ab eo irregularitas propria, quia statim desinit ligari jure Pontificio quoad vim coercivam, unde, sicut est incapax novæ irregularitatis, ita etiam antiquæ seu conservationis ejus. An vero non obstante præcedente irregularitate, possit aliquando etiam licite eligi, vel ad hunc effectum possint Cardinales in irregularitate dispensare, dicemus in disputatione sequente.

8. *Episcopus sub censura prohibitus ne ordinet irregularem, non incurrit ordinando incapacem characteris.*—Aut indignum jure divino aut naturale ordinando. — Ultimo ex his regulis possumus colligere, quando per legem Ecclesiasticam prohibetur Episcopus sub censura ipso facto incurrenda, ne irregularem ordinet, non incurrere talem censuram ordinando sceminam, aut alium simpliciter incapacem characteris Ordinis, ut, v. gr., catechumenum, etiamsi alias esset illegitimus, aut bigamus, etc., tum quia talis persona, ut diximus, non est vere irregularis, neque impedimenta ejus sunt proprie canonica; tum etiam quia illa non est vera ordinatio, sed tantum apparens, nec refert, quod illud majus peccatum sit, quam personam proprie irregularem rite ordinare, quia in legibus pœnalibus attendenda sunt verba legis. Unde similiter colligitur, Episcopum in eo casu non incurrere censuram ordinando hominem solo divino jure aut naturali indignum ordinatione, si impedimentum, quod habet, ex vi Pontificii juris canonicum non sit, et sub aliqua specie propriæ irregularitatis compre-

hensum, quia verba legis pœnalis in proprietate et rigore sumenda sunt juxta Ecclesiasticum usum. Et ideo multum expedit non abuti nominibus, ex quorum usu pendet intelligentia Ecclesiasticarum legum. Licet ergo is, qui ordinatus est, sit criminosus, aut valde ineptus, vel indoctus, si tamen defectus ejus ex vi alicujus canonis non inducit propriam irregularitatem, ordinator ejus non manebit censura ligatus ex vi talis legis. Quando vero hæc indignitas sit etiam irregularitas, constabit ex dicendis de irregularitatibus in particulari.

SECTIO VIII.

Quæ sit verborum forma, per quæ inducitur irregularitas.

1. *Duo ad irregularitatis formam necessaria.*—Quæstio hæc visa est maxime necessaria, quia ex ejus decisione pendent omnia, quæ de speciebus irregularitatis dicenda sunt. Cum enim dixerimus irregularitatem tantum incurrere in casibus a jure expressis, maxime scire expedit, quibus verbis solet in jure irregularitas exprimi, seu quæ verba legis sufficiant, ut intelligamus irregularitatem ibi satis expresse ferri. Et hæc est forma verborum quam inquirimus; non enim de verbis ab homine proferendis, sed de verbis juris tractamus. Duo ergo in his verbis præcipue consideranda sunt. Primum est, ut significant pœnam vel impedimentum canonicum ipso facto incurrendum, nulla expectata sententia, etiam declaratoria criminis, quia irregularitas non aliter imponi consuevit, ut sect. 4 declaratum est. Secundum est ut verba, quibus tale impedimentum vel pœna declaratur, sint ita propria, ut in specie significant hoc impedimentum, quatenus ab aliis distinguitur. Ratio est, quia hæc verba id efficiunt quod significant. Item quia sunt verba practica, quæ debent in particulari significare quod intendunt, quia effectio circa particularia versatur. Item quia irregularitas debet esse in jure satis expressa.

*Prima universalis regula.*

2. Ex his ergo principiis, quæ certissima sunt, partim ex jure canonico, cap. Is cui, de Sent. excomm., in 6, partim ex ipsa naturali ratione, colligi possunt nonnullæ universales regulæ. Prima est. Quoties verba legis non significant pœnam ipso facto, sed requirunt



actionem hominis, ut imponatur, in tali lege non est sermo de irregularitate. Patet, quia pœnalis lex nunquam per seipsam operatur absque sententia, vel facto hominis, nisi per verba ejus sufficienter exprimat, quod maxime verum habet in irregularitate, quam necesse est esse in jure expressam. Hic autem occurrebat statim quæstio, qualia esse debeant verba legis, ut sufficienter declarent legem per seipsam operari. Hoc vero dubium commune est irregularitati cum censuris; et ideo videri possunt, quæ diximus supra, disp. 3, sect. 2. Imo et quæstio communis est omnibus legibus pœnibus, quam latissime tractat Tiraquell., in l. Si unquam, C. de Revoc. donat., verb. Revertatur, per totum.

3. *Vulgaris regula.* — *Limitatur.* — Quia vero vulgaris regula apud juristas est, quando privatio fertur per verbum præsentis, aut præteriti, significari per ipsam legem statim ferri; quando vero fertur per verba futuri, significari pœnam ferendam, ut late Tiraquellus, supra, num. 21, et alii juristæ, in l. Si quis major, cum Gloss. ibi, C. de Transactionibus, et in l. Si quis in tantum, C. Unde vi, et in c. Tua, de Pœnis, et in c. At si clerici, de Judiciis, ubi Abb., num. 34, et Dec., num. 35: addenda hic necessario est limitatio, nisi ex aliis verbis adjunctis satis significetur alius sensus pœnæ ipso jure latæ vel ferendæ, ut multis exemplis declaravimus in dicto loco de censuris; et in præsentia materia, verba legis sufficienter significant imponi irregularitatem, si lex dicat, *irregularis erit*, vel *irregularis fiet*. Ratio est, quia in ipso nomine irregularitatis includitur aliquid sufficienter determinans verbum illud ad talem significationem. Sic enim agentes de censuris diximus, si cum verbo de futuro adjungatur particula, *eo ipso, ex tunc, ipso facto*, et similis, per illam determinari significationem verbi de futuro, ut significet censuram ipso facto incurrendam, et ex tunc futuram, seu duraturam. In præsentia ergo, quamvis non addantur expresse hujusmodi particulae, in ipsa voce, et ratione irregularitatis intrinsece includuntur. Nam, quia censuræ possunt a jure et ab homine ferri, ideo verbum de futuro per se sumptum magis significat ferendam, quam latam, si non addatur particula determinans significationem; non enim potest ex sola ratione censuræ determinari. Irregularitas autem solo jure fertur, et ideo eo ipso, quod nominatur in lege, per seipsam determinat quodcumque ver-

bum etiam de futuro, ut significet sententiam latam, et non tantum ferendam; ut si dicatur, *irregularis erit*, subintelligitur *ex tunc*; vel *irregularis fiet*, subintelligitur *ipso facto*, et sic de aliis, quia illæ particulae implicite continentur in ipso nomine irregularitatis, ut declaravi. Quocirca, quando in lege ponitur expresse irregularitatis nomen, nulla est difficultas intelligendi, quod sententiam latam contineat.

4. *Exemplis regula data exponitur.* — *Primum exemplum, cap. Si quis Episcopus, 1, quæst. 1.* — *Secundum exemplum, ex cap. 1 de Ordinatis ab Episcop. qui renunc.* — Quia vero canones, præsertim antiqui, raro utuntur nomine irregularitatis, sed per effectus vel per alias circumlocutiones illam indicant, ideo difficile est discernere, an canon contineat sententiam latam vel ferendam, quia sæpe tales effectus, et descriptio per illos possunt ad aliquod aliud impedimentum canonicum accommodari. Nihilominus tamen proposita regula, et communis doctrina in hoc servanda erit; nam si ex cæteris verbis legis non constat satis expresse sermonem esse de irregularitate, et alioqui pœna imponitur per verbum futuri, et non præsentis aut præteriti, signum est ibi non imponi irregularitatem, sed aliquam censuram vel aliam pœnam. Probat, quia tunc ex vi nullius vocis declaratur sufficienter, talem pœnam ipso jure imponi; ergo signum est non esse irregularitatem. Ut autem per exempla rem magis declarem, nonnullas formulas canonum proponere oportet, ex quibus aliqui irregularitatem colligunt, mea tamen sententia ex vi verborum illam non continent. Prima est ex cap. Si quis Episcopus, 1, quæst. 1: *Proprii gradus periculo subjacebit*, ubi constat verbum esse de futuro, et effectum illum non minus ad suspensionem vel depositionem, quam ad irregularitatem posse referri, ideoque de suspensione potius esse intelligendum, quod clarius constat ex originali in Concilio Chalcedonens., actione 15, can. 2, ubi ad illam pœnam præmittitur conditionalis, *Si convictus fuerit*; hæc enim conditio ad irregularitatem contrahendam necessaria non est. Secunda est in cap. 1 de Ordinatis ab Episcop. qui renunc. Episcop.: *Executionem officii non habebit*, quam pœnam suspensionem esse, nos supra interpretati sumus, quia ad carentiam executione officii non plus requiritur, et pœnali legi non amplius dandum est, quam verba requirant. Circa ver-

bum autem, *habebit*, licet sit de futuro, quia ibi non significat privationem rei jam possessæ, sed negationem accipiendæ, ideo carentiam executionis ex tunc futuram significat, ut supra exposuimus.

5. *Tertium exemplum, cap. Si qui Episcopi, 1, quæst. 1.* — *Quartum exemplum, cap. Quoniam, dist. 48.* — *Quintum exemplum, cap. Clericus qui, dist. 46.* — Tertia est in c. Si qui Episcopi, 1, quæst. 1: *Ordinationis jus ulterius non habebunt*, ubi *ordinationis* vox activam et passivam potest significare; ibi tamen active sumitur; loquitur enim Leo Papa de Episcopis, qui ob indignam ordinationem ordinandi jure privantur. Unde ibi non est sermo de irregularitate, sed de suspensione quadam. Neque ibi cogimur verbum illud, *habebunt*, ita explicare, ut contineat sententiam latam, sed potius ferendam, quia sermo est de Episcopis, qui ante illud crimen jus ordinandi habebant; unde non caret illo, nisi priventur per sententiam, quia verbum de futuro non amplius cogit, sicut si diceret, *Jure ordinandi priventur*. Quarta sumitur ex cap. Quoniam, dist. 48: *Cesset a clero*, et ibidem: *Præcipitabitur a statu sui cleri*. Quas pœnas inter irregularitates refert Maiolus; mihi tamen videtur imprimis ibi non contineri pœna ipso jure lata. Primo quia verbum, *Præcipitabitur*, de futuro est, et manifeste postulat actionem hominis; verbum autem, *Cesset*, ad summum est indifferens; potest enim intelligi, aut quod in actu exercito, ut sic dicam, imperium feratur per ipsammet legem, aut quod imperium ferendum sit per judicem; tamen ex adjunctis constat in hoc secundo sensu accipi; nam præmittitur: *Si convictus duobus, vel tribus testibus fuerit*, et subditur: *Cesset a clero*, id est, tali pœna afficiatur. Unde in ipso originali a Concilio Nicæno I, can. 2, clarius dicitur, *Deponendus est*; non est ergo ibi sermo de irregularitate, sed de depositione. Quinta sumi potest ex cap. Clericus qui, dist. 46, ibi, *Ab officio degradetur*, quam etiam Maiolus refert, immerito tamen, quia ibi non est sermo de pœna lata, sed ferenda, ut tam ex verbo, *Degradetur*, quam ex præcedentibus constat, scilicet: *Clericus, qui adulationibus et proditionibus vacare deprehenditur*, scilicet in judicio; imponitur ergo ibi pœna *degradationis*, id est, depositionis vel alicujus suspensionis; nam vox illa secundum antiquum usum hæc omnia significat, et delicta, de quibus ibi agitur, plane requirunt hanc totam latitudinem.

Idemque colligi potest inferius ex c. 5 ejusdem dist., ubi de clerico maledico dicitur: *Cogatur ad postulandam veniam; si noluerit, degradetur, neque amplius ad officium absque satisfactione revocetur*; ubi constat degradationem illam non fuisse, qualis nunc fit per exauctorizationem, in ordine ad tradendam personam curiæ seculari, sed extendi ad suspensionem.

6. *Corollarium.* — Unde colligo, quoties pœna in canone ponitur per hoc verbum, *deponatur vel degradetur*, aut raro, aut nunquam esse sermonem de irregularitate. Exempla sunt multa in canonibus Apostolorum, et in cap. Si quis Episcopus, dist. 83, cujus verba sunt, *Ab officio suspendatur, et Glossa exponit, id est, deponatur*, et quidquid sit de interpretatione, eadem est ratio de utroque verbo; nam evidentè significant pœnam ferendam, et ab irregularitate distinctam. At vero in cap. Cum illorum, de Sent. excomm., ibi, *A susceptis Ordinibus censemus in perpetuum deponendos*, videri potest, per illa verba describi irregularitatem, quia ibi agitur de pœna eorum, qui excommunicatione ligati Ordines suscipiunt; de quibus ait Pontifex, quod si sint clerici seculares, et scienter Ordines susceperint, perpetuo sunt deponendi; non ergo novam pœnam imponit, sed executionem tantum ipsius irregularitatis præscribit absque spe dispensationis. Quæ interpretatio est probabilis; juxta illam vero dicendum est, ibi non imponi pœnam, sed mandari tantum executionem pœnæ jam impositæ per canones. Verisimilius autem est, præter irregularitatem, quæ jure ipso incurritur, mandari etiam depositionem perpetuam per judicem imponi, quando concurrunt omnes circumstantiæ ibi designatæ, scilicet, quod excommunicatio est qualificata (ut sic dicam), id est, reservata Pontifici, et cum plena cognitione illius, Ordines suscipiuntur. Nam de aliis clericis secularibus, qui ex ignorantia juris vel facti in eo statu ordinantur, ibi supponitur manere irregulares, et non posse per alium quam per Summum Pontificem dispensari; eis vero non imponitur depositio perpetua; signum est ergo pro prioribus esse aliam pœnam a judice imponendam præter irregularitatem. Inferius vero, in versic. *Si autem*, dicitur, monachos dicto modo ordinatos manere suspensos ab executione suscepti Ordinis et officii; quæ pœna ipso facto imponitur, ideoque credi potest susceptionem ibi late sumi pro irregularitate.



Ego vero existimo esse novam pœnam impositam, quando concurrunt dictæ circumstantiæ, cujus signum est, quia non solum ab Ordine, sed etiam ab officio suspensio imponitur, a quo irregularitas non ita generatim separat, quia suspensio ab officio usum etiam jurisdictionis impedit, quem non impedit irregularitas.

7. *Sextum exemplum, ex cap. Quoniam, 47 dist.* — Sexta verborum forma sumi potest ex cap. Quoniam, 47 dist., ibi: *Dejiciatur a clero, et alienus existat a regula.* Ex quibus priora verba aperte significant depositionem, ut Glossa ibi intellexit, quia et verbum de futuro est, et actionem hominis requirit, et præterea ad imponendam illam pœnam probatio postulatur, ut probant illa verba, *Si quis inventus fuerit, etc.* Illa autem postrema verba, *alienus existat a regula*, videntur magis indicare irregularitatem; tamen revera non significant distinctam pœnam; unde alia translatio Concilii Nicæni, can. 18, ita habet: *Abscindatur a clero, et alienus ab Ecclesiastico habeatur gradu*, et ita refertur, 14, q. 4, cap. Quoniam. De eadem etiam depositionis pœna ab homine imponenda sermo est in cap. Episcopus, dist. 41, cum dicitur: *Dejici ab officio suo præcipimus*, et in cap. ult., d. 55, ibi: *Bene fraternitas tua fecit, ab officio eum presbyterii removere.* Et similia multa facile inveniuntur. Solum est observandum, quod licet irregularitas ipso facto incurratur, nihilominus ad officium Prælati pertinet efficere, ut irregularitas ab aliquo contracta observetur et executioni mandetur. Unde fit, ut aliquando possint canones de hac executione loqui; oportet tamen, ut de tali irregularitate ex aliis juribus constet; et ideo semper verum est, ex solis verbis de futuro, quæ irregularitatem aperte non exprimunt, sed potius requirunt actum hominis, non satis posse colligi irregularitatem.

*Secunda generalis conclusio.*

8. *Exemplis demonstratur conclusio, quoad priorem partem.* — Secundo principaliter, dicendum est, quamvis privatio Ordinum ex vi verborum canonis ipso jure feratur, non semper ferri irregularitatem, nisi vel ex verbis expressis, vel ex aliis indicibus sufficientibus colligatur. Probatur, quia depositio vel suspensio perpetua, ipso jure lata, est pœna ab irregularitate distincta; sed hæc solet in jure vocari Ordinum privatio; ergo talis pri-

vatio, etiam ipso jure posita, indifferens est ad irregularitatem, et nonnulla alia impedimenta canonica; ergo, ut significetur irregularitas, necessaria sunt verba, aut indicia specialiora. Quoniam, si verba in proprietate sumpta depositionem vel suspensionem significant, pro illis pœnis, ut ab irregularitate distinguuntur, sumenda sunt, nisi aliud cogat. Imo si sint ambigua, et ex se indifferentia ad irregularitatem vel suspensionem, et ex aliis circumstantiis litteræ aliud non constet, potius de suspensione, quam de irregularitate interpretanda sunt, tum quia illa est mitior pœna; tum etiam quia irregularitas non incurritur nisi in casibus a jure expressis; non potest autem dici in jure expressum, quod verbis adeo ambiguis et generalibus propositum est.

9. Exemplis rem declaremus. Primum quoad priorem partem sumi potest ex cap. 1 de Homicidio, in 6, ibi: *Excommunicationis et depositionis a dignitate, honore, Ordine, officio et beneficio, incurrat sententias ipso facto*; nam ibi non irregularitas fertur, sed depositio. Simile habetur in Extravag. 2 de Simonia. Exempla vero alterius partis sumi possunt ex cap. Teugualdum, 11, quæst. 3, in verbis illis: *Omni judicamus sacerdotii officio manere penitus alienos.* Quæ verba privationem sacerdotii significant, et tamen per ea non fertur irregularitas, sed depositionis pœna; unde statim subditur, *Prædictis autem depositis, etc.* Aliud exemplum sumi potest ex cap. Qui semel, dist. 50, ubi sic habetur: *Qui semel post suam ordinationem in lapsum ceciderit, deinceps jam depositus erit, nullumque gradum sacerdotii poterit adipisci.* Nam licet verbum illud sit de futuro, tamen ex illis particulis adjunctis, *deinceps jam*, videtur determinari ad significandam pœnam ipso facto; nam ex vi illarum significatur, ex tunc, a tempore commissi criminis fore depositum. Unde aliqui existimant illam esse sufficientem formam latæ irregularitatis, præsertim adjunctis illis ultimis verbis, *nullum gradum sacerdotii poterit adipisci.* Ego vero de propria depositione verba intelligo, ut sonant; et valde probabile existimo, ibi non esse depositionem ipso jure latam, sed ferendam, cum Turrecremata et aliis. Quod colligo imprimis ex qualitate criminis, pro quo illa pœna imponitur, scilicet, *pro quolibet lapsu*, carnis (ut omnes exponunt) post ordinationem; incredibile autem tam gravem pœnam fuisse impositam ipso facto pro hu-

jusmodi casu adeo humano, et qui tam frequens esse potest. Unde in cap. Presbyter, dist. 82, sic habetur: *Presbyter si fornicationem fecerit, quanquam secundum canones Apostolorum debeat deponi, tamen, etc.*, quam depositionem solum suspensionem quamdam fuisse colligo ex cap. Hi qui, 15, quæst. 8. Quod ergo in dict. cap. Qui semel, dicitur, deinceps fore depositum, ita exponendum est, id est, deinceps deponetur, statim ac de crimine constiterit. Unde quod subditur, *nullum gradum sacerdotii poterit adipisci*, intelligitur post depositionem, seu ex vi illius; atque ita ex vi illius formæ non colligitur irregularitas; atque ad eundem modum exponendum existimo canonem 14 Apostolorum, in illis verbis, *Eum non amplius celebrare jubemus*; nam separatio a celebratione, et ratione suspensionis, et ratione irregularitatis convenire potest; et ideo potius de suspensione illa pœna interpretanda est, maxime considerato delicto, pro quo imponebatur, scilicet, propter transitum clerici ab una parochia in aliam sine licentia Episcopi. Imo etiam incertum est, an illa forma verborum contineat pœnam ipso facto incurram, seu præceptum directe impositum ipsi delinquenti, ne ulterius ministret, vel tantum absolute præcipiatur, ut ei talis imponatur pœna, nam verbum, *jubemus*, absolute sumptum, non amplius significat in omni rigore. Unde alia translatio habet, *Hunc ulterius ministrare non patimur.* Atque ita videtur tacite exponi in Concil. Antiocheno II, can. 10. Ex his ergo exemplis poterit de aliis similibus judicium ferri.

*De indicibus quibus colligatur irregularitas in jure lata.*

10. *Primum indicium.* — Statim vero occurrit inquirendum, quænam sint indicia vel circumstantiæ, ex quibus sufficienter colligi potest, similem pœnam esse irregularitatem, et non aliud impedimentum canonicum, quando irregularitas non proprio nomine ponitur, sed per effectus vel alia generalia verba. Respondetur, varia signa assignari solere, non tamen omnia esse certa. Unum est, si talis pœna auferenda dicatur per dispensationem; nam in hoc irregularitas distinguitur a censuris, quod non per absolutionem sicut illæ, sed per dispensationem tollitur, ut infra dicemus. Sed hoc indicium non est sufficiens, ut supra tetigi in materia

de Suspensione; quia tolli per dispensationem, licet proprie non conveniat censuris, non tamen est proprium irregularitatis, sed etiam convenit depositioni tam a jure quam ab homine latæ, et suspensioni, quæ pura pœna est, et ad certum tempus vel perpetuo definite fertur, ut citato loco ostendi.

11. *Secundum indicium.* — Secundum indicium esse potest, si talis privatio feratur sine culpa, quamvis non sine causa. Nam imprimis hoc videtur esse indicium certum, quod tale impedimentum contrahitur ipso facto, posita tali causa seu conditione, quia non ponitur ut pœna; ergo ad illud contrahendum non requiritur vis coactiva judicis, aut ejus sententia vel judicium, nisi interdum ex accidenti, si causa sit dubia. Deinde videtur proprium irregularitatis inter omnia canonica impedimenta, quod possit sine culpa contrahi. Hoc vero indicium imprimis non est adæquatum, quia non omnis irregularitas incurritur sine culpa. Deinde, licet, ubi invenitur, regulariter sit vehemens et fere certum, interdum tamen videtur deficere, quia aliqua suspensio ab executione Ordinum potest contrahi sine culpa, ut in propria materia tactum est. Opinor tamen id nunquam contingere in suspensione, quæ est per privationem usus Ordinis prius legitime obtenti cum libero jure utendi illo, quia nemo privatur hoc jure semel acquisito sine culpa, seclusa irregularitate. Solum ergo contingit per suspensionem, quæ est per præventionem, ut sic dicam, seu per non collationem talis usus simul cum ipso Ordine. Unde hoc non contingit, nisi in ipsamet ordinatione, ob aliquem defectum ordinantis, nam ex impotentia dantis, mirum non est, quod alius non recipiat aliquem usum etiam sine culpa sua. Facta ergo hac exceptione, in reliquis casibus existimo illud indicium esse optimum; supponendo impedimentum, de quo agitur, esse privationem Ordinis, vel usus ejus. Quod ideo assero, quia aliæ inhabilitates Ecclesiasticæ in ordine ad beneficia, vel prælaturas, etiam possunt sine propria culpa contrahi, juxta cap. 4 de Filiis Presbyter., cap. In quibusdam, de Pœnis, cum similibus. Propter quod aliqui has etiam inhabilitates irregularitates vocant; non sunt vero ex his, de quibus nunc agimus.

12. *Tertium indicium.* — Tertium indicium est, quando per legem ponitur impedimentum in Ordinibus, quod post peractam pœnitentiam manet, argumento textus cum Glossa in